



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

C. Ioannes III. LXXIV. Arch. XXIX. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

C. IOANNES III. LXXIV. ARCH.
XXIX. ELECTOR.

JOannes Metzenhusanae stirpis insigne decus, dum summæ Ecclesiæ Præses præponitur, priora merita adeò auxit posterioribus, ut unâ omnium eligentium suffragiis Elector electus, Clementi VII. Pont. & Carolo V. Cæsari pergratus, ab horum priore Pallio, à posteriore Electorum insignibus sit exornatus. Pacis idem liberalibusque addictus studiis, neglectum à civibus Academiae resumpsit sibi patrocinium, Viris doctissimis eam in rem accersitis, quos inter fuit Ambrosius Pelargus è D. Dominici Ordine Theologiæ Doctor, & fidei propugnator insignis. Non minùs iis temporibus lapsam disciplinam & justitiæ tribunalia neglecta reparare occipiens, componendis de Religione dissidiis inter alios Viros Principes à Cæsare constituitur. Verùm improvise correptus morbo in arce Dansteiniana an. 1540. morti succubuit. Sed an. 9.

CI. IOANNES LUDOVICVS LXXV. ARCH.
XXX. ELECTOR.

JOannes Ludovicus ex familia de Hagen oriundus, summo Nobilitatis Ecclesiasticæ consensu ad supremam Trevirorum Cathedram evectus, consuluit temporì ac necessitati; nam novorum dogmatum probè memor, Bartholomæum Latomum per annos 9. Lutetiæ eloquentiam professum, & aliàs diverso doctrinæ genere instructum, magno Catholicæ Religionis bono à consiliis esse sibi iussit, in publicis Imperii Conventibus futurum Oratorem, & in Fidei Controversiis Orthodoxæ veritatis defensorem. Anno 1542. in Comitiis Spiræ & Norimbergæ Joanne Ludovico præsentè auxilia contra Mahometanos sunt decreta, eventu parùm felici: reversus eam ob rem etiam ex Africa

ca